



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCVIII. An possit vnus Angelus alteri ita loqui, vt alij non audiant,
etiãmsi velint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

possit Angelus ulterius moueri. Ratio vero posterior est, quia cum Angelus semper debeat esse in loco determinato & finito, & impossibile sit inter duo loca determinata & finita, esse infinitum interuallum: sequitur, Angelos non posse distare in infinitum: illud enim interuallum terminis & extremis concludetur.

DISPVT. CCXIII.

An possit vnus angelus alteri ita loqui, vt alij non audiant, etiam si velint.

Ita posse vnum Angelum alteri loqui, vt alij non possint audire nonnulli docuerunt. ca. 1.

Non posse vnum Angelum alteri secreto ita loqui, vt ab alijs non audiat, alij non improbabilius autumant, cap. 2.

CAPVT I.

Ita posse vnum Angelum alteri loqui, vt alij non possint audire nonnulli docuerunt.

Posse quidem vnum Angelum vni tantum & multis loqui indubitatum est inter Scholasticos: nam siue alij audiant, siue non audiant quod dicitur, ei tantum aliquis loquitur, ad quem sermonem suum dirigit, veluti si Petrus cum Ioanne coram multitudine disputaret, cum eo tantum loqueretur, reliqui tamen omnes audirent. Est autem controuersia, an sicut vnus homo potest alteri ita secreto loqui, vt nullus alter audiat: sic etiam vnus Angelus possit ita alteri secretum cordis sui aperire, vt ille solum audiat. In qua quidem difficultate prior sententia est non paucorum Scholasticorum, qui censent, posse quidem vnum angelum alteri ita secreto loqui, vt alij non possint audire. Sententia est S. Thomae infra q. 107. artic. 5. & Caietani ibidem quos sequuntur recentiores multi Thomistae, Ricardus in 2. dist. 9. artic. 2. Agidius dist. 10. quest. 3. artic. 1. Bassolis dist. 9. qu. 2. artic. 1. §. Est igitur quartus modus & Marfilij in secundum quest. 7. artic. 2. ad tertiam rationem in contrarium adductam. Ceterum cum hi authores varie sentiant de modo loquendi Angelorum non eodem pacto hanc sententiam confirmant. Primo Caietanus & alij Thomistae ea ratione vtuntur, quia cum vnus Angelus aperiat secretum cordis sui alteri Angelo solo nunc voluntatis suae, quo posito secretum cordis iam habet ordinem cum Angelo, ad quem voluntate ipsa dirigitur, sequitur, ita posse aperiri vni, vt ceteris maneat occultum, ac proinde ita posse, vnum alteri loqui, vt ceteri audire non possint, quia loqui nihil aliud est, quam explicare secretum cordis: audire autem est illud percipere, & intelligere.

Hanc rationem non obscure indicat S. Thomas proinde in eam sententiam vehementer inclinat, quam disp. 210. cap. 8. ex Caiet. & alijs Thomistis retulimus: posset tamen ipsum aliquis interpretari, vt loquatur non de quouis genere locutionis, sed de eo duntaxat, quod est illuminatio, de quo seq. c. dicemus, ita posse ab Angelo illuminato percipi, vt ab alijs inferioribus non percipiatur: alioquin cogimur deducere S. Thomae eam sententiam, vt solo nunc voluntatis fiat locutio, quam satis difficilem esse in eo cap. 8. monstrauimus.

ARTIC. V.

Ricardus, & qui existimant, vnum Angelum alteri loqui imprimendo illi speciem sui secreti, facile huius rationem poterunt assignare, quia videlicet vel Angelus potest radium intellectum ad vnum dirigere, & non ad alium, vel quia potest vni imprimere speciem sui secreti, & non alteri. Eodem modo, qui cum Scotus asserunt, vnum angelum alteri loqui imprimendo illi notitiam sui secreti per intellectum, siue speciem, quia ipse etiam intelligit, vt dicebat Scotus, dicunt etiam posse vnum Angelum ita loqui alteri, vt ab alijs non audiat: quia affirmant, hanc cognitionem in mente audientis generari pro voluntate loquentis: cuius sententiae plane fuit Bassolis loco allegato, tamen ipse, & Scotus dicant, iuxta eundem ex se, nisi Deus impediret, fore omnibus manifestam. Tercio Marfilij cum dicit, locutionem fieri per signa distincta à cogitationibus & mentaliter significantia affectum & secretum cordis (ex quo videbatur sequi, vnum angelum non posse alteri loqui, quin ab alijs etiam intelligatur & audiat, si illi velint) nihilominus docet, vt vnum accidere posse, & quod Angelus ita exprimat secretum suum illis signis, vt audiat ab omnibus, & vt ab vno tantum audiat, si velit ille, qui loquitur: existimat enim, esse signa quaedam, quibus si Angelus vtatur in loquendo, ab omnibus audietur, quia omnibus significat; alia vero ita peculiariter, ut ab vno tantum intelligatur, quibus si Angelus vtatur, poterit secretum vni tantum loqui, & ab eo solum audiri. Hanc vero differentiam signorum non video qua ratione ipse probet, immo neque probare possit.

Quarto denique cum Agidius doceat, vnum Angelum alteri loqui per signa, affirmat nihilominus, ita posse vnum alteri loqui, vt ceteri non intelligant, id tamen solum fieri in ea locutione, quae simul est illuminatio, quia vnus superior illuminat inferiorem; quia cum illuminatio solum contingat de rebus alijs ignotis, nec eadem angelorum perspicacitas, non omnes aequaliter intelligunt ea, quae per illuminationem traduntur: sicut discipuli, etiam si percipiant sonum verborum magistri, non eodem modo sensum intelligunt: quale de causa non omnes ab omnibus indifferenter illuminantur, sed vnusquisque eorum à propinquiori illuminatur. Quare iuxta sententiam Agidij quod inferius loquitur superius, quia talis locutio non est illuminatio, sed simplex locutio, ab omnibus alijs audiat. Quapropter bona ex parte sanet Agidius posterior opinionem, quam sequenti cap. referemus.

CAPVT II.

Non posse vnum Angelum alteri ita secreto loqui, vt ab alijs non audiat, alij non improbabilius autumant.

Alij vero Scholastici non absque probabilitate affirmant, non posse vnum angelum ita alteri loqui, vt ab alijs, si ipsi velint, non audiant. Ita docent Greg. in 2. dist. 9. q. illa 2. Gal. ad 1. dist. 9. artic. 5. dub. 2. Maior q. 2. Hieronymus in 2. dist. illa 1. q. 1. ad primum ex his quae in corpore quaestiones aliter sunt, quam quodlibet, 1. q. 7. fundamentum vero horum Doctorum varia sunt iuxta varias etiam sententias de locutione.

Primum quidem Gregor. & Maior cum dicunt, Angelos loqui per signa quaedam, siue ea sint naturalia

S. Thom.
Caiet.
Ricard.
Agid.
Bassol.
Marfilij.

entia, vt inquit Gregorius, siue ex libera imposi-
tione vt existimat Maior, & hæc signa, quomodo-
cumque significant, omnibus sint æque nota (om-
nes enim norunt quid signa illa denotent, aut
naturaliter, aut etiam ex libera angelorum imposi-
tione) consequenter asserunt, non posse vnum
angelum fecere alteri loqui. Deinde Gabr. & O-
cam prædictam sententiam alio modo sequuntur:
dicunt enim, vnum angelum loquentem tantum
cum altero ab omnibus quidem audiendum fore,
nisi Deus impediret: quia cum iuxta eorum opi-
nionē vnus angelus alteri loquatur per notitiam
deriuatam à nouitia, quam ipse habet: & illa de-
riueretur naturaliter in mētem audientis in omnes
æque deriuaretur, nisi impediretur à Deo: at vero
quia de facto Deus impedit, ne notitia existens in
mente loquentis deriuetur in omnes, sed in eos
dumtaxat, quibus tantum angelus vult suum se-
cretum aperire: nunc recte potest vnus angelus
alteri loqui absque eo quod ceteri audiant.

Hi omnes authores, & reliqui pro priori sen-
tentia allegati cōsentaneē suis principiis loquun-
tur, ac prōinde ea solum ratione impugnati sunt,
quia eorum principia nobis non probantur; de
quibus hætenus satis superque dictum est. Exci-
pio vnum Marfilium qui meo iudicio, non satis
conuenienter philosophatur: nam cum dixerit,
Angelos sibi mutuo loqui per signa quædam na-
turaliter significantia, non potuit negare, Ange-
lum loquentem ab omnibus audiri: id enim, quod
asserit, nempe esse quædam signa peculiaria vni
tantum significantia, alia vero alteri: frivolum est;
nec vlla ratione probari potest, si semel concedat,
illa esse naturalia signa: quoniam si naturalia fuerit,
sequitur omnibus esse æque manifesta: cumque
probabile nobis visum fuerit angelos sibi mutuo
loqui per signa quædam, quæ non essent conce-
ptus, consequenter eorum fundamentum pro hac
posteriori sententia nobis probatur.

Quod si vera esset sententia, quam disp. 210.
cap. 12. de locutione angelorum ex Hieronymo, &
aliis retulimus: eodem modo probabile esset, ita
Angelos sibi mutuo loqui, & exprimere secreta
cordis sui, vt nō posset vnus alteri secreto loqui:
sed ab omnibus, si ipsi velint, intelligeretur. Nam
cum opinio illa dicat, secretum cordis & volun-
tatis exprimi verbo intellectus, quod est cogni-
tio quæ iam: & hæc nota sit angeli suapte natura,
ita erit nota vni, sicut alteri. Hanc tamen senten-
tiam de locutione ego probabilem existimarem
cum limitatione Agidij, qui asserit, eam esse in-
telligendam de locutione communi, qua vnus
Angelus non illuminat alium; nam de illa, in qua
est reuelatio mysteriorum, potest vnus Angelus
ab aliquibus ita audiri, vt ab aliquibus aliis nō au-
diatur; non dico ab omnibus aliis, sed ab aliqui-
bus aliis; nam omnes qui sunt æqualis perfectio-
nis, poterunt audire, eo quod illuminatio, vt in-
ferius dicemus, sit ab Angelis superioribus diui-
sione quadam conceptuum vniuersalium in sin-
gulares, vt quisque pro capitu suo illa mysteria per-
cipiat; & ita contingit, vt mysteria illa superna-
turalia superiori & magis communi conceptu ex-
plicata, non intelligantur ab omnibus angelis, ac
proinde in tali locutione non possit angelus il-
luminans ab omnibus audiri. Tandem etiam si
angelus loquens, ab omnibus possit audiri, cum
Scoto dicendum est, vnum angelum posse loqui

Vasquez in 1. parte Tom. 2.

eum vno, & non cum aliis, quia vt quis dicatur
loqui cum alio non satis est, ab eo audiri, vt initio
dicebam, sed oportet ad ipsum sermonem diri-
gere.

ARTICVLVS V.

Verum Angeli cognoscant mysteria gratiæ.

Ad quantum sic proceditur. Vide-
tur quod angeli mysteria gratiæ
cognoscant. Quia inter omnia
mysteria excellentius est myste-
rium Incarnationis Christi.

Sed hoc angeli cognouerunt à princi-
pio. Dicit enim August. super Genes. ad
li. quod sic fuit hoc mysterium abscondi-
tum à seculis in Deo, vt tamen innotesce-
ret principibus & potestatibus cœlesti-
bus. Et dicit apostolus 1. ad Tim. 3. quod
apparuit angelis illud magnū sacramen-
tum pietatis. Ergo angeli mysteria gratiæ
cognoscunt.

2. Præterea. Rationes omnium myste-
riorum gratiæ in diuina sapientia conti-
nentur. Sed angeli vident ipsam Dei sa-
pientiam, quæ est eius essentia, ergo an-
geli mysteria gratiæ cognoscunt.

3. Præterea. Prophetæ per angelos in-
struuntur, vt patet per Dionys. 4. cap. an-
gelicæ hierarchiæ. Sed Prophetæ myste-
ria gratiæ cognouerunt. Dicitur enim
Amos 2. Non faciet dominus verbum nisi
reuelauerit secretum suum ad seruos suos
Prophetas. Ergo angeli mysteria gratiæ
cognoscunt.

Sed contra est, quod nullus discit illud
quod cognoscit. Sed angeli etiam supre-
mi quarunt de diuinis mysteriis gratiæ,
& ea discunt. Dicitur enim 7. capite cœ-
lest. hierarch. quod sacra Scriptura indu-
cit quasdam cœlestes essentias ad ipsam
Iesum questionem facientes, & addiscen-
tes scientiam diuinæ eius operationis pro
nobis, & Iesum eas sine medio dicentem,
vt patet Isaia 63. vbi querentibus angelis:
Quis est iste qui venit de Edom? respondit
Iesus. Ego qui loquor iustitiam. Ergo an-
geli non cognoscunt mysteria gratiæ.

Respondet dicendum, quod in ange-
lis est cognitio duplex. Vna quidem na-
turalis, secundum quam cognoscunt res
tum per essentiam suam, tum etiam per
species innatas. Et hac cognitione myste-
ria gratiæ angeli cognoscere non possunt.
Hæc enim mysteria ex pura Dei volunta-
te dependent. Si enim vnus angelus nō
potest cognoscere cogitationes alterius
ex voluntate eius dependētes, multo mi-
nus potest cognoscere ea quæ ex sola Dei
voluntate dependent. Et sic argumenta-
tur. Apost. 1. Cor. 2. Quæ sunt hominis ne-
mo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso
est: ita & quæ sunt Dei nemo nouit, nisi

spiritus

290.
Infra q. 64.
ar. 1. 4. Et p
106. ar. 4. 2
Et Eph. 3. 10
3. fin.

spiritus Dei. Est autem & alia angelorum cognitio, quæ eos beatos facit, quia vident Verbum & res in Verbo. Et hac quidem visione cognoscunt mysteria gratiæ; nõ quidem omnia, nec æqualiter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis reuelare, secundum illud Apostol. 1. Corinth. 2. Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum: ita tamen quod superiores Angeli perspicacius diuinam sapientiam contemplantes, plura mysteria & altiora in ipsa DEI visione cognoscunt, quæ inferioribus manifestant, eos illuminando. Et horum etiam mysteriorum quædam à principio suæ creationis cognouerunt, quædam vero postmodum secundum quod eorum officii congruit, edocentur.

Ad primum ergo dicendum, quod de mysterio incarnationis Christi dupliciter contingit loqui. Vno modo in generali. Et sic omnibus reuelatum est à principio suæ beatitudinis. Cuius ratio est, quia hoc est quoddam generale principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur. Omnes enim sunt administratorij spiritus vt dicitur Hebr. primo. In ministerium missi propter eos qui hereditatē capiunt salutis. Quod quidem fit per incarnationis mysterium. Vnde oportuit de hoc mysterio omnes à principio communiter edoceri. Alio modo possumus loqui de mysterio incarnationis quantum ad speciales condiciones. Et sic non omnes Angeli à principio de omnibus sunt edocti: imo quædam etiam superiores angeli postmodum didicerunt, vt patet per auctoritatem Dionysij inductam.

Ad secundum dicendum, quod licet angelij beati diuinam sapientiam contemplantur: non tamen eam comprehendunt. Et ideo non oportet, quod cognoscant quicquid in ea latet.

Ad tertium dicendum, quod quicquid Prophetæ cognouerunt de mysterio gratiæ per reuelationem diuinam, multo excellentius est angelis reuelatum. Et licet Prophetis ea quæ Deus facturum erat circa salutem humani generis, in generali reuelauerit: quædam tamen specialia Apostoli circa hoc cognouerunt, quæ Prophetæ non cognouerant, secundum illud Ephes. 3. Potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod aliis generationibus non est agnitus, sicut reuelatum est sanctis Apostolis. Inter ipsos etiam Prophetas posteriores cognouerunt quod priores non cognouerunt, secundum illud Psal. 118. Super senes intellexi. Et Gregorius dicit quod

ARTIC. V.

per successiones temporum crenit diuina cognitionis argumentum.

PRÆTOR concludit, Angeli non possunt naturaliter cognoscere mysteria gratiæ. Posterior concludit, Visionem quam vocant beatificam, videri possum angelum verbum, & alia mysteria gratiæ in verbo, non quod omnia, nec omnes æqualiter, sed prout eis voluerit Deus reuelare. Has conclusionis sequentibus disputationibus explicabimus.

DISPUT. CCXIV.

An possit angelus naturæ suæ virtutibus mysteria gratiæ cognoscere.

Tres diuersæ Scholasticorum sententiæ, cap. 1. Notationes quædam pro explanatione variorum sententiæ, cap. 2. Exponitur vera sententiæ in vniuersum, cap. 3. Corollaria superioris doctrine, cap. 4.

CAPVT I.

Tres diuersæ Scholasticorum sententiæ.

PRÆSENS controversia non est de cognitionis cuiuscumque obiecti, quod supernaturalis solum virtute cognosci potest: nam de mysterio Trinitatis, quod vi naturali intellectus creari percipi nequit, iam notauimus supra disput. 32. cap. 2. eodem modo quæstio non est de mysterio incarnationis, huius enim notitia supponit notitiam mysterij Trinitatis, & de illo in tertiam partem differemus. Est igitur præsens difficultas solum proposita de ceteris omnibus mysterijs gratiæ extra Deum: an possint ab Angelo naturaliter cognosci: in qua certum est apud omnes, angelos absque peculiari reuelatione non cognoscere singillatim mysteria gratiæ, quæ Deus voluntate sua facturum est, bene tamen cognoscere in reuelatum, Deum posse facere aliquid supra ordinem naturalem, quicquid illud sit. Prius sic ostenditur: consilium voluntatis Dei non solum angelis virtutibus, sed etiam clare intuitibus Deum absconditum est: si enim consilium voluntatis vniuersi angelij alterum latet, multo magis consilium voluntatis Dei: ergo quid Deus facturum sit, non potest ab angelis sine particulari reuelatione cognosci. Posterius vero sic probatur, angelus recte nouit, imo & philosophi ratione Physica demonstrare recte possunt, Deum aliquid posse supra communem ordinem rerum, cum earum omnium esse ab ipso factum fuerit, & conseruetur: sciunt igitur naturaliter angeli posse Deum propria virtute facere aliquid supernaturale, vtrum autem hoc sit supernaturaliter ex parte modi, an vero secundum substantiam, existimo illis notum non esse naturaliter: quia inter naturalia secundum suam naturam, & ex parte modi solum efficiuntur, nesciunt distinguere, nisi reuelatione aliqua facta. An vero mysteria gratiæ supernaturalia iam facta angeli cognoscant, Scholasticis controversum est, varietate de hac re senserunt.

Prima sententiæ sit Scoti in 4. dist. 10. q. 8. & sup. 3. deo, & seqq. qui disputans de modo existerendi corporis Christi in Eucharistia, & de modo existendi accidentium, inquit, ab angelo propria virtute cognosci: quam sententiam amplectuntur Bona in 4. d. 10. q. 8. Maior ead. d. q. 5. & prius docuerat. Ego in diuis Theoremate 16. Gal. in Can. Illius 42. Iuxta 1. de

1. di. 11. qu. 2.
ar. 4. & opus.
1. c. 26. &
pb. 3. lect. 3.

Angeli, sed
contra.